

enim cogitari potest talis usus: unus est negativus non resistendi, vel non impediendi infusionem talis auxilii; alius est positivus se disponendi per aliquem bonum motum ad receptionem talis auxilii; sed neuter usus potest habere locum respectu talis auxilii; ergo. Major per se clara est, et illa partitione utuntur auctores illius sententiæ: circa minorem autem divisi sunt, nam quidam requirunt dispositionem negativam, eamque esse dicunt, non resistere sufficienti vocationi, sed sinere se movere; nam si ita se habeat (inquiunt) voluntas hominis sufficienter vocati, infallibiliter prædeterminatur; quando autem non prædeterminatur, ideo est quia non sinit se prædeterminari, sed resistit. Ad hanc autem dispositionem negativam dicunt non requiri aliud auxilium prædeterminans, et ideo dicunt esse in mera potestate liberi arbitrii, et hoc modo esse in potestate ejus habere auxilium prædeterminans. Hunc modum dicendi sequitur Cabrera supra, disput. 2, § 11, n. 302, 457 et 476, quamvis satis repugnet alteri sententiæ ejus supra relatæ, quod homini sit simpliciter impossibile habere hoc auxilium ex decreto Dei antecedente ad omnem usum liberum voluntatis hominis, per absolutam voluntatem Dei non dandi illud. Quidquid vero sit de consequentia doctrinæ, fundamentum illius sententiæ esse potest, quia necessarium est ut auxilium efficax aliquo modo sit in potestate hominis jam vocati; sed non est in potestate immediata ejus ad inchoandum consensum, quia ad hoc debet prædeterminari a Deo, nec mediante dispositione positiva, quia ad illam erit necessaria prædeterminatio: ergo oportet ut sit per dispositionem illam negativam, ad quam non est necessaria prædeterminatio, nec novum positivum auxilium.

31. *Convincitur rationibus theologis.* — *Ratio prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Quarta.* — *Probat sequela.* — Hanc sententiam impugnavi late lib. 4 de Auxil., c. 13. Et in ea impugnatione nobis consenserunt Ledesma, dicto art. 1, ad 3; et Alvarez, disput. 105, ad 6; et Cumel, in Opusc., libr. 1, disput. 4, sect. 3, circa finem tertiæ conclusionis, et propter hujus discursus complementum, iterum hic rationes summam proponere non gravabor, possumusque ad duo capita impugnationes reducere. Primum continet rationes theologicas in secunda objectione proxime facta insinuat. Prima, quia ex illa sententia sequitur hominem se disponere viribus solis liberi arbitrii, sine gratia physice adjuvante, ad obti-

nendum auxilium efficax, quod non videtur concedendum, quia alias multum haberet homo unde gloriaretur. Neque obstat quod illa dispositio negativa sit, nam est dispositio moralis, et in moralibus magni momenti est libera abstinencia vel omissio, quando est difficilis et laude digna, ut est manifestum in victoria tentationis contra præceptum negativum, per solam suspensionem actus mali. Secunda, quia ultima resolutio cur huic detur et non illi auxilium efficax, reducitur in solum liberum arbitrium, quod videtur alienum ab illa interrogatione Pauli: *Quis enim te discernit?* 1 Corinth. 4, et ab admiratione Augustini dicentis: *Cur hunc trahat, et illum non trahat, noli judicare, etc.*, et verbis Prosperi dicentis, rationem ob quam huic datur auxilium efficax et non illi, non reddi sufficienter ex usu liberi arbitrii. Tertia, quia jam gratia efficax esset pedissequa liberi arbitrii, non ductrix, nam supponeret usum ejus, et illum infallibiliter sequeretur, juxta illam sententiam. Item initium salutis quoad efficaciam actus (ut ille auctor loquitur) esset a libero arbitrio, non tantum ut cooperante cum auxilio comitante, sed etiam sua sola libertate ita se præparante, saltem sinendo se duci, ut infallibiliter trahatur. Quarta, quia sequitur dari ex parte hominis causam moralem, saltem negativam, suæ prædestinationis, quæ fuit opinio Henrici, quodlib. 4, quæst. 19, et quodlib. 8, quæst. 5, communiter tamen a Theologis reprobata, ut dixi libr. 2 de Prædestinat., c. 10, et ab ipso etiam Cabrera, dub. 7. Sequela probatur, quia primus effectus, proprius prædestinatorum, est auxilium efficax, nam antecedentia, excitantia, et sufficientia communia sunt, ex generali gratiæ providentia; sed auxilium efficax dicitur dari ex dispositione negativa propria libertate concepta; ergo.

32. *Objicitur.* — Ut autem vis harum rationum magis elucescat, objici potest, quia in præcedenti libro docuimus, ex doctrina divi Thomæ et communi, Deum dare primam gratiam excitantem homini non ponenti obicem, quacumque ratione contingat illum non ponere, etiam per solam carentiam actus liberi mali, diximusque inde non sequi hominem suis viribus se disponere ad primum auxilium gratiæ, nec dare initium illi, quia illa carentia obicis non est dispositio nec initium gratiæ; ergo idem responderi poterit de auxilio efficaci, juxta illam sententiam, negando illum usum negativum esse dispositionem ad auxilium efficax, vel initium ejus, sed meram carentiam

obicis. Cur enim non hic, cum eadem proportionem, dicitur Deus ex se offerre auxilium efficax prædeterminans omnibus sufficienter vocatis, non tamen absoluta promissione, sed sub conditione, si non ponant obicem, sinendo se movere? Nam, posita hac lege, licet detur auxilium efficax non ponenti obicem per usum negativum suæ libertatis, non dabitur gratia ob dispositionem ejus, sed ex sola libera voluntate Dei, quia licet contraria dispositio sufficiat ponere obicem gratiæ efficaci, nihilominus illa per se nihil confert ad eam gratiam, sed Deus gratuito dat eam. Unde si Deus velit, dare poterit auxilium efficax etiam illi qui reluctatur, et ponit obicem. Quapropter, licet is cui negatur auxilium efficax, quia non sinit se ducere, ex parte sua dici possit se discernere ab alio qui recipit auxilium, quia ratio ob quam ei non datur ab illo sumitur, nihilominus discretio ex parte alterius non potest ipsi tribui, quia nihil fecit dignum tali auxilio, vel de se conducens ad illud, sed Deus sola misericordia illud dedit. Sicut quando unus vocatur ad fidem, et non alius, discretio fit inter illos, quæ ex parte ejus qui non vocatur potest habere causam in ipso, ex parte vero ejus qui vocatur, minime. Sic ergo videntur posse eludi rationes factæ. Et videtur majori ratione hæc omnia esse admittenda in primo auxilio prædeterminante, quam in prima vocatione, quia ante primam vocationem nulla gratia antecedit, in qua fundetur carentia obicis: in hoc autem auxilio efficaci antecedit gratia excitans et moraliter juvans ad non ponendum obicem et sinendum se ducere. Nam, licet vocatione sufficiens non necessitet hominem, nec omnino illum prædeterminet ad non resistendum vel sinendum se ducere, nihilominus de se ad id movet, et quando liberum arbitrium se sinit duci, seu non resistit, non solum id facit, sed moraliter adjutum ab ipsa vocatione, et quasi cooperando illi eo modo quo, in abstinencia illa negativa et libera, potest intelligi cooperatio. Unde ex hac parte, licet negatio illa vocetur aliqualis dispositio, non erit contra gratiam, quia illa, eo modo quo fit, ex gratia excitante et adjuvante fit; dispositio enim negativa non fit physice, sed moraliter, et ideo satis est quod a gratia excitante et moraliter adjuvante fiat. Sicut in exemplo posito de victoria tentationis pure negativa per solam carentiam consensus, ad illam sufficere potest auxilium excitans et moraliter adjuvans, ut in lib. 1 dictum est.

33. *Evasio.* — *Præcluditur dicta evasio.* —

*Et argumentis convincitur.* — *Notandum.* — Hæc tamen evasio et æquiparatio tolerari aliquo modo posset, si usus ille negativus posset intelligi per modum remotionis obicis, quæ sit libera voluntati per solum usum negativum; quia vero hoc intelligi non potest, locum non habet dicta evasio, quod explicabitur melius deveniendo ad secundum caput rationum quibus illa responsio impugnatur. Primo ergo argumentor, quia si auxilium efficax est prædeterminans, nullus obex potest illi poni ex parte hominis, si Deus ex se paratus est ad dandum illud. Aut enim ille obex est aliquid habituale in homine existens, vel actuale; neutrum dici potest; ergo. Probatur minor quoad priorem partem de habituali, quia vel illud est peccatum originale, vel habituale, vel aliquid aliud quod non sit peccatum. Primum dici non potest, quia licet peccatum originale de se reddat hominem tali auxilio indignum, tamen, supposita generali voluntate Dei salvandi et redimendi omnes, illud solum non est sufficiens ratio ad negandum adultis auxilia necessaria ad salutem, ut de sufficientibus ostensum est in lib. 4. Et est eadem ratio de efficaci, vel certe major, quia (quod notandum est) collatio vel denegatio auxilii efficaci adjuvantis, de quo tractamus, non habet locum nisi in homine sufficienter vocato ad fidem, vel penitentiam; nam ille qui nondum vocatus est non est capax auxilii efficaci, cum non possit operari nisi vocatus; et ideo, in illo qui non est vocatus, non oportet aliam rationem quærere ob quam non recipiat auxilium efficax seu prædeterminans, nisi quia non habet vocationem qua converti possit: cur autem careat vocatione, aliunde petendum est ex dictis de auxilio sufficienti. Posita autem vocatione sufficienti in homine, verbi gratia, existente in peccato originali, sicut peccatum originale impedimentum non posuit vocationi, ita nec potest solum ac per se illud peccatum esse obex auxilio efficaci; quia eo ipso quod, non obstante illo peccato, Deus hominem vocat, quasi remittit ex ea parte indignitatem et reatum peccati originalis, et se obligat quantum est ex se ad dandum auxilium efficax, si nihil aliud illi obstat; quia non frustra neque fecte vocat; ergo vocat ut perficiat quantum in ipso est; ergo necessitate quadam consequentiæ, secundum ordinatam et prudentem providentiam, dando vocationem non obstante habituali peccato, offert etiam de se auxilium efficax.

34. *Auxilium efficaci cooperans et adjuvans*



*homini vocato ex vocatione debitum.* — Unde non immerito dici potest auxilium efficax cooperans et adjuvans debitum esse homini vocato ratione vocationis, etiamsi alias in originali peccato esse supponatur, si aliud impedimentum non interveniat. Et hæc ratio æque probat de peccato habituali relicto in actuali, vel actualibus commissis. Nam licet hæc de se possint impedire vocationem, tamen si, illis non obstantibus, Deus dat vocationem sufficientem, ratione ejus quodammodo debetur et necessario offertur ex parte Dei auxilium coadjuvans, ex necessitate non absolutæ potentiae, sed ordinariæ et sapientis providentiæ, ut declaravi. Præter peccatum autem non potest alia habitualis dispositio cogitari, quæ sit obex ad recipiendam prædeterminationem; nam, si quæ fingi potest, maxime naturalis aliqua vel permanens indispositio potentiarum ad operandum, ut esset insania, vel amentia, aut somnus, aut aliquid simile; nihil autem horum habet locum in homine actualiter vocato sufficienter; oportet enim ut attendat, et sit aptus proxime ad operandum, si velit; alias etiam esset incapax vocationis; nulla ergo habitualis dispositio, sive moralis, sive habitualis, quæ non est obex sufficientis vocationis, est de se obex prædeterminationis. Atque hoc maxime necessarium est in sententia contra quam disputamus, quia dispositio illa negativa, quam ponit, est libera et pendens ex usu libero saltem negativo, seu suspensivo actus liberi. Denique est evidens ratio, qua si per dispositionem illam negativam tollitur obex, necesse est ut tale sit, quod a libero usu pendeat, ut per illum usum tolli possit. At vero habitualis dispositio, præexistens in subjecto, non potest tolli per usum liberum, præsertim negativum. Quomodo enim per hunc usum libertatis auferretur habituale vel originale peccatum, quod sine positiva dispositione supernaturali auferri non potest; ideo ut auferatur, necessario supponit gratiæ efficacis operationem. Idemque de quolibet alio impedimento naturali evidentius est. Sit ergo certum, respectu auxilii efficacis seu prædeterminantis, nullum intervenire posse habituale obex.

35. *Ponitur probatio de actuali.* — Jam probatur idem de actuali, quia vel ille obex consisteret in actu positivo, vel in carentia actus; hoc secundum dici non potest in illa sententia, quia obex, consistens in carentia actus positivi, non potest tolli nisi per oppositum actum positivum; ergo non potest

tollī per usum negativum libertatis, quia actus non ponitur nisi per usum positivum. Item si vocatio sufficiens sit, verbi gratia, ad voluntatem credendi, interrogo cujusnam actus positivi carentia possit esse obex collationi auxilii prædeterminantis ad illam voluntatem? Nullius profecto. Nam si sit carentia actus mali, illa non obest, imo prodest plurimum ad non impedienda gratiæ auxilia; carentia autem actus boni, si moraliter tantum sit quædam negatio, quæ non est omissio peccaminosa, nec carentia actus debiti ex præcepto, impertinens est, nec potest moraliter obesse: physice autem (ut sic dicam) potest prodesse ut voluntas sit expeditior ad attendendum vocationi ad fidem, et illi assentiendum, si velit. Si vero sit omissio per carentiam actus debiti ex præcepto, hæc nec necessaria est, nec moraliter conjungi potest cum vocatione actuali ad actum omnino diversum.

36. Quod enim non sit necessarius hujusmodi obex, ut homo vocatus non recipiat prædeterminationem ad consensum, manifestum est: sæpissime enim contingit, cum homo vocatur ad fidem vel pœnitentiam, non teneri pro eo tempore ad alium actum exercendum, ut est per se notum; ergo tunc carentia aliorum actuum, quamvis honorum, non potest esse obex ne recipiatur auxilium prædeterminans ad voluntatem credendi vel pœnitendi. Quod vero neque moraliter possit contingere, patet, quia homo non potest simul occupari circa multa, præsertim gravissima, et quorum singula magnam requirant animi attentionem et considerationem; ergo, dum homo vocatur actu ad fidem, verbi gratia, et Spiritus Sanctus, per sufficientem vocationem internam, cor ejus et mentem ad id agendum et intendendum excitat, non imponit illi præceptum ut eodem tempore aliud præceptum impleat, et de re illa interius cogitet et sollicitus sit, non enim esset conveniens providentia nec capacitati hominis consentanea. Unde quando aliud præceptum affirmativum instat, potius excitabitur homo ad cogitandum de illo, vel, si ad id non excitatur, excusabitur per naturalem inconsiderationem, et sic carentia alterius actus non erit obex actui fidei vel prædeterminationi necessariæ ad illam.

37. Solum video cogitari posse, post vocationem sufficientem, necessarium esse orationis actum ad obtinendum auxilium prædeterminans ad voluntatem credendi, verbi gratia, et carentiam actus orandi esse obex alterius auxilii. Sed neque hoc cum probabilitate

dicitur; tum quia si homo sufficienter vocatur ad fidem, eo ipso offertur illi auxilium adjuvans ad credendum tanquam consentaneum illi vocationi, ut supra declaravi; tum etiam quia, si homo tunc ad orationem non excitatur, non potest actum illum habere, sed ad alium debet immediate conari ad quem excitatur; si vero excitatur ad actum orandi, cessabit pro tunc excitatio ad alium actum, et redibit quæstio de ipsa voluntate orandi, nam ad illam erit etiam necessarium auxilium prædeterminans; unde, si datur, jam homo orabit et non ponet obex; si vero non datur, quærendum est cur non detur, vel quo modo sit in potestate hominis, aut quemnam obex illi ponere possit ob solam carentiam alicujus actus.

38. Tandem potest hic obex constitui in aliquo alio actu libero, cujus carentia sit remotio obex, qua posset auxilium efficax impedire. Sed hoc etiam verisimile non est. Primo, quia nullo probabili modo potest explicari quis vel qualis sit ille actus, qui auxilio efficaci suscipiendo obsit, si non auferatur, vel suspendatur. Secundo ad hominem, in illa sententia, juxta quam etiam ad illum actum erit necessaria Dei prædeterminatio. Vel igitur Deus prædeterminat voluntatem ad illum actum, vel non prædeterminat: si prædeterminat, non potest voluntati imputari quod aliam prædeterminationem impediatur, quia Deus prævenit illam, prædeterminando illam ad alium actum cui illa resistere non potuit; si autem Deus non prædeterminat voluntatem ad illum actum, tunc carentia talis actus non est moralis obex remotio, quia voluntas, non per suam libertatis usum, sed necessario, et ex potentia naturali, non habet illum actum. Probatur, quia non potest actum illum habere sine prædeterminatione, et illa caret, ut supponitur; ad illam autem carentiam non potuit ipsa se disponere, quia nec fingi potest qualis sit illa dispositio, nec, si fingatur, in illa sistemus, sed radicem ejus investigando in infinitum procedemus; ergo quod Deus det hanc vel illam prædeterminationem, non potest in aliquam negationem liberam ex parte voluntatis humanæ reduci, sed solum pendet ex divina voluntate.

39. Quod præterea ita explicatur, quia, stante sufficienti vocatione ad fidem, vel homo est capax sub disjunctione, vel divisim, plurium prædeterminationum ad varios actus inter se ita repugnantes, ut simul esse non possint; vel est tantum capax unius prædeterminationis ad unum actum. Hoc posterius dici

non potest, tum quia per illud tollitur libertas quoad specificationem actus, quia hæc requirit capacitatem indifferentem ad plures actus; tum etiam quia, si homo vocatus ad credendum, verbi gratia, pro tunc solum est capax unius prædeterminationis, certe illa potius erit prædeterminans ad voluntatem credendi, quam ad ullam aliam. Quæ enim alia fingi potest? Aut cur illius potius erit capax voluntas quam alterius, cum supponatur actu excitata sufficienter ad volendum credere? Unde si Deus non det illi talem prædeterminationem ad volendum credere, non poterit ipsi voluntati impulsari, nec in aliquem negativum usum ejus reduci, quia si non est capax alterius prædeterminationis, nec etiam est capax alterius actus, et consequenter neque omissionis liberæ illius. Si vero est capax plurium prædeterminationum, interrogo cur potius unam quam aliam a Deo recipiat; certe non potest in usum liberum negativum ipsius voluntatis reduci, quia prius natura quam aliquam prædeterminationem accipiat, æque caret omni actu, tam voluntatis credendi, quam cujuscumque alterius ipsi repugnantis; ergo ex vi illius negativæ dispositionis non est cur magis ad unam voluntatem determinetur a Deo, quam ad aliam; ergo impossibile est intelligere cur voluntas sufficienter vocata ad fidem, prius natura quam ad hoc vel illud prædeterminetur, se disponat, vel (si malis ita loqui) se non impediatur ad recipiendam prædeterminationem credendi per carentiam alicujus actus qui posset impedire voluntatem credendi, nam illa carentia actuum, quæ in illo priori naturæ antecedit, est naturalis, et universalis ad omnes actus.

40. Et hæc est potissima ratio, et, iudicio meo, demonstratio ob quam talis negatio alicujus actus intelligi non potest tanquam libera dispositio, vel remotio obex, quæ aliquo modo, sive per se, sive per accidens, sit ratio vel occasio ob quam Deus det auxilium efficax præveniens post sufficientem vocationem; et, ob eandem causam, illud non repugnare, vel non resistere Deo vocanti (ut in dicto libro de Auxiliis notavi), licet per negationem explicetur, non consistit in negatione, sed in aliqua voluntatis cooperatione; nam vocatio ipsa, de qua loquimur, est ad aliquid agendum, scilicet, supernaturalem consensum, unde per negationem omnis actus illi resisteretur; ut ergo non resistatur, necessaria est cooperatio aliqua, et ideo impossibile est illud *non resistere*, vel *se sinere moveri*, quatenus liberum est, per